



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXVII. Crucifixus Jesus rebus in afflictis solamen nopstrum
& auxilium in tempore opportuno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](#)



CONSIDERATIO XCVI.

Crucifixus JESUS rebus afflictis solamen nostrum, & auxilium in tempore opportuno.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hebr. 4. 16.

I.

AD David afflictum, & à Saule multis exagitatum persecutib⁹ plures venerunt afflitti, desolati, ac debit⁹ gravati alienis, ut ab eo in tempore opportuno optatum obtinerent auxilium: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustiis constituti, & oppressi aere alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Princeps omnium tribulatorum & afflictorum est crucifixus Dominus Deus noster: *Non enim habemus Pontificem; qui non possit compati infirmitatibus nostris;* Quare ergo miseri mortales non in omni tribulatione nostra ad eum confugimus? Audi Apostolum Hebraeos suos recens ad Christum Pontificem suum convertos, & ideo magnas a falsis fratrib⁹ sustinentes persecutiones, quomodo eos in afflictione sua hortatus & consolatus sit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur.* Thronus gratiae erat olim Propitiatorium: *Facies & propitiatorium,* quod erat locus placationis, eò quod ibi Deus Moysi apparens, & cum eo loquens, placabatur, & propitiabatur populo. Allegoricè autem hoc propitiatorium significabat Christum: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius,* alii legunt *Propitiatorem,* qualis Christus in cruce pro nobis factus est; ad hunc ergo in nostra tribulatione veniamus, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

2. Filii Jacob Patriarchæ, licet perfidi, in necessitatibus suis, & in tempore extremæ famis venerunt ad fratrem suum Joseph in

Ægyptum.

I. Reg. 22. 2.

Hebr. 4. 15.

Exod. 25. 17.

Rom. 3. 21.

Egyptum, ut ab eo vita necessaria reciperent, quos omnes, licet interim viginti anni effluxissent, bene novit, benignè accepit, osculatus & complexatus est: *Ego sum Joseph frater vester, quem vendidisti in Ægyptum:* Gen. 45, 4. *nolite pavere &c.* Anima peccatrix! quæ toties per delicta tua vendidisti JESUM tuum in mortem, & quidem in mortem crucis, noli pavere, adhuc enim gratiarum Dominus vivit, adhuc aperta sunt Sanctissima ejus Vulnera: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Veni o. 10. 9. proinde, anima mea, ad Crucifixum Redemptorem tuum, & dic ei cum prædictis Josephi fratribus: Merito hæc patior, quia peccavi in fratrem meum JESUM; sed quia benignus & misericors est, patiens & ocl. 2. 12. multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, ideo non despero, sed multo magis spero ab hoc crucifixo amore meo veniam, gratiam ac misericordiam in tempore opportuno, ac præsertim in supremo agone; hoc est tempus opportunum, ex quo pendet tota æternitas.

3. Aaron Sanctus Domini, id est à Deo sanctificatus & consecratus in Sacerdotem, ubi ex proceribus ducenti quinquaginta viri, & ex populo quatuordecim millia hominum & septingenti ob murmurationem in castris igne cœlesti consumpti sunt, condolens animitus tanta stragi, se mediatorem inter DEum & hominem interposuit, unde vestibus Pontificiis ornatus cum arrepto thuribulo accurrit, & inter mortuos ac viventes stans per orationem suam ac thurificationem impedivit, ne ulterius procederet incendium: *Et stans inter mor- Num. 16. 48.*
tuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.

En perelegantem typum in Christo crucifixo expletum. Aaron pretiosâ tiarâ erat ornatus, Christus in cruce spineâ redimitus coronâ: Aaron aureis annulis in manibus, Christus ferreis clavis: Aaron gemmatum gestabat pectorale, Christus crudeli lanceâ apertum latus: de capite Aaron fluebat in vestimenta ejus unguentum odoriferum: *Sicut psal. 131. 2.*
unguentum in capite, quod descendit ad oram vestimentis; de capite Christi fluebant rivuli divini cruxis, ut capilli illius sanguine conglutinati, quasi unus restis viderentur, ita B. Virgo ad S. Birgittam: *Capilli ejus lev. 1. 4.*
quasi restis, hinc bene dicere poterat: *Vulnerasti cor meum in uno crine collis cap. 70.*
tui; Aaron medius inter vivos & mortuos stetit deprecans Dominum:
Et plaga cessavit, Christus in cruce in suppedaneo stans, ut probat S. Irenæus, ferreisque affixus clavis, ut eō firmius inter mortuos & vi- ventes staret, *pro populo deprecatus est, & plaga cessavit;* unde Aposto-
lus: *Pacificans per sanguinem crucis, sive qua in terris, sive qua in cœlis sunt.* Col 1. 20.
plus quam Aaron!

Ginther Unus pro omnibus.

Zz

Ecce

Ecce quomodo Crucifixus Iesus solamen nostrum sit & auxilium in tempore opportuno; quarebant enim tunc, pendente Domino in cruce, vindictam contra insensatos peccatores creaturæ omnes, colum & terra, sol & luna, & ipsæ petræ scissæ sunt, ac monumenta aperta &c. ipse verò mitissimus Iesus ad Patrem pro populo deprecatus est: *Pater dimitte illis;* Et plaga cessavit, & exauditus est pro sua reverentia: Quis, obsecro, non amet talem ac tantum Redemptorem? quis ipsum imposterū audet adhuc offendere? *Verè dilexit nos, & tradidit semeipsum pro nobis.*

Ephes. 5. 2.

Prov. 8. 30.

Dom. 1. Quad.

§. L.

Apocal 3. 19

Psal. 90. 15

Gen. 44. 2.

S. Ambr. hic.

4. Audi eandem æternam Veritatem & incarnatam Patris sapientiam: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & delicia mea esse cum filiis hominum.* Et quare cum filiis hominum, & non cum Angelis? Nunquid Angelii erant domestici tui? Et quid est homo, quod memor es ejus? Observa Christum non Angelorum, sed hominum assumptissime naturam, quibus ob naturæ corruptionem virtus ardua & difficilis est, quos per adventum suum & passionem roborare & consolari voluit. Ita effecit, ut in deliciis esset S. Petro & Andreæ crux, S. Laurentio craticula, S. Sebastiano sagittæ, & sic de ceteris Sanctis ac Electis Dei, qui ab hoc occiso in cruce leone de tribu Juda in omnibus adversis suis suavissimum mel hauriebant: *De fortis dulcedo.* Didacus Nissenus hanc subdit rationem: *Homines, inquit, venatione prædicationis & auctuipio crucis cepit;* Et Hugo Cardinalis: Potius sunt ei deliciae in filiis hominum, quam in Angelis, vel in aliis creaturis à se conditis; quia deiis, quæ auctuipio vel venatione capiuntur, fiunt deliciae, non autem de domesticis.

5. Si ergo Christi deliciae sunt esse cum filiis hominum, etiam cum miserrimis, derelictis & angustiatis, quare igitur tantoperè gravamur, si crux aliqua nos affligit? Pater est, qui nos castigat: *Ego quos amo, arguo, & castigo,* quem quotidie invocamus: *Pater noster, qui es in celis;* quis ergo de manu illius non libenter aliquam crucem suscipiat? Audi ipsum loquentem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Joseph Patriarcha sedens in throno regio Ægypti soli Benjamino fratri suo dilectissimo scyphum dedit: *Scyphum meum argenteum, & premium quod dedit tritici, pone in ore facci junioris, factumque est ita &c.* Ut sic teneriorem erga hunc fratrem suum germanum contestaretur affectum; Supra quod S. Ambrosius: *Fecit reum rapina, ut teneret obudem gratia.* Ita & Christus scyphum suum, seu calicem passionis illis tribuit, quos tenerius diligit. Et quis, obsecro, non cum gaudio &

folia
liban
lom
ei v
abag
de a
mod
gau
ram
ftoli
bant
ubi
clan
run
gna
ante
neru
noft
anir
xun
q

Solatio ex hoc calice Domini bibat? Calicem, quem dedit mihi Pater, non jo. 18. **IL.**
libam illum?

Fel amarissimum est, & symbolum tribulationum, quod nihilo minus cæcos Tobiae senioris oculos mirificè curavit, pristinumque oī viūm ac lumen restituit: *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit Tob. 6. q.*
abigo, & sanabuntur. Sic tribulationes primâ fronte videntur nobis valde amaræ, ut fel, sed mentis & animæ cœcitatem in nobis mirum in modum curant, & ad cœleste regnum promovent; proinde sunt pinguis & arrha electionis ad gloriam.

6. Vedit aliquando dilectus Christi Discipulus in raptu innumeram electarum animarum turbam, stantem ante thronum Dei cum stolis albis & palmis, gratias agentes, & laudantes Deum, & clambant voce magna: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno;* Apoc. 7. 10. ubi audita est vox unius de Senioribus (Lyranus vult fuisse S. Petrum) clamantis & dicentis: *Hi qui amicli sunt stolis albis, qui sunt? Et unde venerunt?* Et responsum ipse dedit: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni; idè sunt ante thronum Dei.* Ecce fructum tribulationum, ac præsertim SS. Vulnerum & meritorum Christi JESU crucifixi & Agni pro peccatis nostris occisi, in cuius sanguine laverunt, & dealbaverunt stolas & animas suas omnes illi Elecli. Quid ergo restat, nisi ut crucifixum antesignanum nostrum in omnibus tribulationibus fideliter sequamur, & gratias illi agamus, quidquid evenerit. Sic si socii erimus tribulationum, erimus & consolationum.



Z z 2

CON-